

Johann Christoph Balser

## **De Arresto Facti Et Illicito A Jvdice Rei Sitae Contra Forensem Decreto**


Recvsa, Giessae Hassorvm: Recvsa Joannis Jacobi Bravn, MDCCLII.

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1783439092>**

Druck Freier  Zugang










N. K. — 2 (29.)

1/  
2/  
3/  
4/  
5/  
6/  
7/  
8/  
9/  
10/  
11/  
12/  
13/  
14/  
15/  
16/  
17/  
18/  
19/  
20/  
21/  
22/



- 1) Ayres de diff. in. rem. et person. delecto; in germanis habitus
- 2) Wadd. magis. de jurisdictione seditionum.
- 3) Walfer de arrepto facti et illidito a iudice rei sedae contra forenses decreto
- 4) Balbasar de contract. et action. bonae fidei et stricti iuris cum propt.
- 5) - - - de manusuff. servorum, s. hominum propriorum ex iure Rom. et Germ. speciatim Pomer.
- 6) Bardili de recognit. instrumenti, oder non Geltendheit der Hand und Dingalt.
- 7) - - - de subscriptione, non des Unterschrift sowohl gegen Standt. als Privat-Instrument  
(in allem und wesslichen Fallm.)
- 8) - - - de obligat. facienda, non des Verbindlichk. nicht nur gegen den Staat sondern  
(in allem, ohne das solches durch Geld oder auf andere Art geschehen können.)
- 9) Bastineller de iure sepulchrorum.
- 10) Beonius de resignat. avulsione, et turbat. sigillorum.
- 11) Bermann de legatio puenae nomine relicto.
- 12) Beier de expensis executionum criminalium.
- 13) Berger de difform. honorum uxoris.
- 14) Bertram de relatione iudicis inferioris ad superiorem.
- 15) de Boder de eo, quod iustum e circa testimonia historicorum.
- 16) - - - de iure reunendi plerentibus, non Einlösung des veräußerten Zubehörs.
- 17) - - - de praescript. ex solo temporis lapsu procedente.
- 18) - - - de abusu aestimat. et moderat. iniuriarum.
- 19) - - - de expensis victoriae non praestandis.
- 20) - - - de moderno testamentorum abusu.
- 21) - - - de usuris pretii non soluti, non des Verzinsung nichtständiger Kaufgelder.
- 22) Bddanus de abusu paenitent. ecclesiast.







3)

DE

ARRESTO FACTI ET ILLICITO  
A IUDICE REI SITAE CONTRA  
FORENSEM DECRETO

DISSERIT

SIMVLQVE

*GENEROSOS ATQVE NOBILISSIMOS*

AUDITORES SVOS

AD

COLLEGIVM DISPVTATORIVM

INVITAT

IO. CHRISTOPH. BALSER

P. P. O.

---

GIESSAE HASSORVM

RECUSA JOANNIS JACOBI BRAVN, ACAD. TYPOGR.

ANNO MDCCLII.



DE  
ARRESTO FACTI ET ILLICITO  
A IUDICE REI SITAE CONTRA  
FORENSEM DECRETUM

DISSERT.

SIMULONE

GENEROSOS ATQUE MORIBUS

AVDITORES SVOS

AD

COLLEGIUM DISPUTATORIUM

INVITAT

IO. CHRISTOPH. BALSER

P. P. O.

---

GIESSE WASSER

RECTOR JOHANNES JACOBUS

ANNO MDCCLXXII





L. N. 7.

§. I.  
ACTIO CORAM COMPETENTE JVDICE INSTITVENDA.

**Q**uemadmodum, definiente summo JCto  
CVJACIO a), jurisdictio est notio jure  
magistratus competens; ita quoque facile  
asseritur, omnem actionem, quam quis  
habere contendit, coram magistratu non tantum;  
verum etiam eo, qui illam jurisdictionis speciem,  
ad quam caussa pertinet, accepit, simulque perso-  
nam jure cogere coercereque potest, proponendam  
esse. Vnde notissima juris regula: *Aëtor sequi de-  
bet b) forum rei.*

a) paratit. ad π. tit. de Jurisdic.

b) STRAVCH. diff. de competent. princ.

A

§. II.



## §. II.

## COMPETENTIA FORI.

Forum competens esse vel *generale*, vel *speciale*, notum est. *Præ* ex domicilio quis nanciscitur; *posterius* ex contractu, delicto & re sita aestimatur. Nobis, cum saltim de potestate judicis rei sitae pauca differere constituerimus; de eodem foro & quousque illud fundetur, paulo accuratius disquirendum erit.

## §. III.

## QVO IN FORO ACTIONES INSTITVI DEBEANT?

Actiones; veluti media persequendi in iudicio, quod nobis debetur, sunt vel *personales*, vel *reales*; illae cum ex jure ad rem descendant, eoque solum modo adversus personam comparatae sint; nullibi nisi vel in foro domicilii; vel contractus vel delicti institui possunt. *Reales* vero, quae ex jure in re oriuntur atque eo spectant, ut declarationem *a)* juris in re nobis competentis urgeamus; coram iudice rei sitae proponi posse eo magis Romanis placuit; quo certius res ipsa affecta est, deque jure in ista re, sine respectu ad personam disceptatur. Siquidem, ut recte rem explicat NOODTIVS *b)*, hisce actionibus non persona, sed res convenitur; Res itaque, cum sub jurisdictione sita sit, atque de ea ex jure in ea competente disceptetur, in foro rei sitae recte vindicatur.

*a)* il-



a) illustr. D. BOEHMER de action. Sect. I. C. 3. §. 3.  
b) ad π. tit. de judiciis.

§. IV.

SUBJECTIO VEL REALIS VEL PERSONALIS.

Tametsi vero sola honorum possessio personam qua talem non afficiat; nec promiscue affirmari possit, quemcumque rerum immobilium possessorem prorsus jurisdictioni iudicis rei sitae a) subjectum esse; illa tamen distinctio subjectionis personalis & realis suo haud destituitur b) fundamento; adeo ut illa subditum omnimodo; haec vero saltem quoad onera realia juraque in re ipsa competentia constituat.

a) HERTIVS diff. de subject. territor. §. 3. neque vero quisquam; quod de Saxonia tanquam singulare observant JCti: ut sc. possessores rerum immobilium quoad personam quoque subjecti censeantur, nimis citra rationem extendet; cum & ipsi DD., qui hac de re latius egere, illud ipsum observent. conf. SCHILTER de Landfalfiat. & all. HERT. cit. diff.

§. V.

AN NECESSARIO ACTIONES REALES IN FORO REI SITAE INSTIUVENDAE?

Praeterea illa disputatio, utrumne solummodo in foro rei sitae, non autem domicilii actiones institui possint? nos haud detineat; Equidem L. 38. π. de judic., qua JCti a) nituntur, istam sententiam



haud confirmat. Enimvero forum speciale nunquam excludit generale; nec ulla apparet ratio; cur actori rei vindicandae dominum coram iudice suo convenire non liceat. Deinde autem particula *b*) etiam non saltem omne eximit dubium; verum etiam verbum *debet c*), quo usus est JCtus, satis commode pro *potest* accipitur.

a) vid. ZANGER, de Exception. P. II. C. I. n. 356.

b) SCHILTER Exerc. ad  $\pi$ . XIII. §. 31.

c) id, quod exemplis illustrat NOODT ad  $\pi$ . de iudic. cius.

§. VI.

AN HEREDITATIS PETITIO.

Illud vero adhuc in disceptationem venit, numne in foro rei sitae hereditatis petitio institui possit? sunt equidem plures, qui negant *a*); Neque vero exceptionis rationem videmus. Ad legem enim *unic. C. ubi de hered.* quod attinet, quamque in auxilium proferunt dissentientes; nostra equidem sententia parum praesidii adfert. Cum enim illa in lege haec saltem decidatur quaestio, anne iudicium possessorium in foro domicilii tractari possit; illam quidem negant Imperatores; neque tamen abscisse idem de ipsa hereditatis petitione *b*) respondent.

a) COCCEJVS diff. de fundat. in territor. & plurium locor. concurrente iurisdic. T. IV. §. 24.

HEINECC. Elem. jur. sec. ordin.  $\pi$ . tit. de iudic. §. 36.

HV.



HVBER. prael. ad  $\pi$ . eod. §. 49. istam respondendi rationem eleganter exponit NO-  
 ODTIVS Dioclet. & Maxim. C. II. p. m. 236. &  
 quoad L. 29. §. fin.  $\pi$ . de inoffic. testam. obser-  
 vandum; verbum *oportet* non semper necessitatem  
 inferre. vid. SCHILTER Exerc. XIII. §. 32.  
 STRAVCH. Lex. part. voc. *oportet*.

§. VII.

QVID JURE GERMANICO DE FORO REI SITAE DICENDVM?

Adeo igitur circumscriptum fuit rei sitae forum  
 jure romano. Idem interea, an jure germanico af-  
 ferendum, videamus. Negat id V. C. HOMBERG  
*a)*, Prof. Marburg. *forum rei sitae*, inquit *testibus vi-*  
*ris exacta consuetudinum germanicarum notitia celeberrimis*,  
 JO. SCHILTERO, N. H. GVNDLINGIO  
 & J. G. ESTORE *latius quondam in germania patuit*  
 & *hodie majoris passim amplitudinis existimatur foro*  
*domicilii*. Ego vero, nec *olim*, nec *hodie* tantae fuis-  
 se amplitudinis, ut quisquis ex sola bonorum posses-  
 sione pro subdito plane censi debuerit. Qua ete-  
 nim ratione sententiam hanc ad principia juris ger-  
 manici antiqui accommodare velit, non constat; &  
 quod ad usum hodiernum attinet, praxis illorum  
 judiciorum, quae justae & aequae principia sectantur,  
 prorsus aliud docet. Nec isti in testimonium advo-  
 cati Viri exacta consuetudinum germanicarum noti-  
 tia celeberrimi illud affirmare sunt ausi. Id saltem  
 discriminis observarunt; quod Teutones actiones  
 rea-



reales in foro rei sitae instituendas esse existimaverint.

a) vid. Programmata nuper editum de iustit. arresti a iudice rei sitae contra forenses decreti. §. 18.

§. VIII.

RATIO IURIS GERMANICI.

Optandum idcirco fuisset, V.C. sententiae suae rationem adtulisse. Illud enim expeditum est, Germanos, uti quemquam suo iure; ita quoque res eodem provinciae, in qua sitae erant, iudicasse. Quod si igitur res erat convenienda, lis ea de re ex iure rei sitae ab eisdemque iudice erat decidenda. E contrario, ubi actione personali experiendum, forum domicilii, ex cuius iure persona iudicanda, adendum erat. Id quod IUS SVEVICUM, *Judicium RVPERTI* a) *Imperatoris* & b) HEINECCIUS b) satis abunde demonstrant.

a) apud SCHILTERVM all. Exerc. XIII. §. 30. 31. ubi simul de praxi hodierna idem testatur.

b) Elem. jur. germ. L. III. §. 88. add. FRIED. ESA. PVFFENDORFF. de Jurisd. germ. P. II. Sect. III. C. I. §. 74. p. 331.

§. IX.

VTRVM FORVM REI SITAE PER MODVM ARRESTI IN ACTIONIBVS PERSONALIBVS FUNDARI POSSIT?

Haec nobis fuerunt praemittenda, ut constet, nec



nec jure romano, nec jure germanico licuisse, nec-  
 dum licere, reum actione personali ad forum rei si-  
 tae pertrahere. Quare jam dispiciendum est, *utrum*  
*ne forum istud rei sitae in actionibus personalibus incom-*  
*petens per viam arresti competens fieri possit, vel anne*  
*jurisdictio solummodo per viam ARRESTI fundari pos-*  
*sit?* Id quod V. C. HOMBERGIVS a) iterum nimis  
 confidenter affirmat. Verum, ut recte procedat di-  
 sputatio, praemonendum est; illud in disceptatio-  
 nem haud venire; anne aliquando iudex rei sitae ac-  
 cedente justa legibusque probata causa arrestum  
 contra forensem decernere possit? qua de re satis  
 luculenter differuit MEVIVS b) & HOLLANDVS.  
 c) Etenim sicuti illud nemo facile negabit; ita quo-  
 que nullus, ni jura ad propriam utilitatem accom-  
 modare didicerit, affirmabit, *judicem rei sitae ex sola*  
*caussa situationis bonorum ad instantiam alterius, fun-*  
*dandae saltem jurisdictiois gratia promiscue decernere*  
*posse arrestum, adeo ut illud pro legitimo nec constitu-*  
*tione Imperii prohibito censeri debeat?*

a) citato loc. §. 18.

b) de Arrestis C. 3.

c) de Arrestis C. 3. th. 6. 7.

§. X.

DISTINCTIO INTER ARRESTVM IVRIS ET FACTI.

Quemadmodum enim sua cuique iudici adscri-  
 pta est competentia; ut pro ea causam cognoscere  
 B atque



atque sententiam proferre possit, neque vero ultra illam sese ingerere debeat; ita quoque patescit, cur in foro domicilii omnes; in reliquis vero specialibus foris aliae actiones, quae ob peculiarem causam competentiam fundant, institui possint. Tametsi interim evenire soleat, ut iudex alias incompetens ex justa causa, veluti quod debitor sit fugitivus; vel alibi iustitia denegata; ad singulare remedium arresti confugiat; illud tamen haud permittit, ut iudex eo promiscue uti atque iurisdictiones confundere possit. Haec quoniam leges Imperii satis manifesto approbant, eumque in finem discrimen inter arrestum iuris & facti, ut eo minus dubii occurrere possit, indicant; necesse erit; ad illud discrimen & utriusque arresti proprias notas respicere; ubi illud legitimum & licitum; hoc vero legibus Imperii prohibitum censetur. *Arrestum iuris* est, quod magistratus competens ad instantiam alterius decernit. Id quod probant Recessus Imperii de a) anno 1570. & de anno b) 1594. nec non Conceptum Ordin. Cameralis. c) Ita enim illud in Recess. alleg. de anno 1594. describitur: verb. und ad licita de jure permiffa Arresta, welche NB. ratione contractus confessati, vel iudicatae conventionis, pacti, transactionis, consuetudinis, privilegii &c. nicht zu extendiren. Nec non Concept. all. daß die Arresta, so von einem Richter, Magistrat, oder Obrigkeit, welche von einer dritten Person, als der Partey, pro interesse suo NB. Amts und Obrigkeits halber angeruffen werden,

de,



de, erlanget und beschehen, zu dieser Constitution nicht gezogen. Vnde clare innotescit, legibus Imperii praecise ad Arrestum juris requiri, ut magistratus, qui illud decrevit, sit competens vel ratione d) domicilii, vel ex alia causa.

a) §. 84.

b) §. 82.

c) II. Th. tit. 24. §. 1. 3.

d) Quod MEVIUS de Arrestis C. V. Iure demonstrat.

§. XI.

SOLVS BONORVM SITVS COMPETENTIAM HAVD TRIBVIT.

In eo namque turpiter fallitur V. C. quod sibi persuadeat, solum bonorum situm competentiam tribuere, adeoque firmandae saltem jurisdictionis causa arrestum decerni posse. Si enim hoc promiscue procedit; quivis iudex jurisdictionem, quam non habet, firmare poterit. Praeterea quivis facile animadvertet, hac quidem ratione iudicem omnes causas manifesto alias ad se non pertinentes ad se pertrahere posse. Quis vero affirmabit, solam potestatem cogendi tribuere competentiam? Profecto ipsi quoque Icti a V. C. in auxilium vocati, aliam plane sententiam tuentur. MEVIUS d) secundo requiritur, inquit, ut sit competens. Etsi vero idem hoc explicet, ut & arrestum decerni possit contra non subjectum; id tamen exigit, ut accedat, quod illam legitimam facit. Id necesse est, pergit, ut accedat, quod pote-



potestatem illam competentem facit. Quod oritur  
 tum ex iis, quae jus in externos concedunt, tum ex  
 causis, quae arrestum urgent vel suadent. Patet  
 igitur, arrestum juris a iudice competente decerni;  
 cum e contrario arrestum facti imponat iudex incom-  
 petens.

a) de Arrest. Cap. V. n. 9. & Part. V. dec. 221. V. C.  
 ESTOR Anfangs-Gründe des gemeinen und Reichs-  
 Processes §. 1919.

## §. XII.

QUANDO SUFFICIAT SITUS BONORVM?  
 Cum praeterea demonstratum fuerit; iure ger-  
 manico forum rei sitae tam late haud patuisse, ut  
 quaevis actiones personales in eo institui potuerint  
 & possit; parum certe profecit V. C. suo satis auda-  
 ci asserto: *arrestum in foro rei sitae non solum securita-  
 tis gratia, sed etiam juris sui persequendi causa petendum  
 in personalibus quoque competentiam tribuere; litisque  
 pendentiam inducere verius esse.* Certe allegatus ab  
 ipso BRVNNEMANNVS a) ipsi non adstipulatur  
 de arresto legitimo locutus; de actionibus persona-  
 libus nil cogitans. Licet igitur arrestum alias fun-  
 det forum; id tamen adeo extendere, ut iudex etiam  
 incompetentis arrestum decernendo jurisdictionem fir-  
 mare possit, nefas est. Idcirco iudex rei sitae tum  
 demum arresto jurisdictionem iure firmat, si posses-  
 for



for actione reali in foro rei conventus se sistere nolit; vel alia praeter situm bonorum accesserit caussa. *Injustum enim*, inquit MEVIVS *b)*, *ex sola situatione bonorum debitoris contra ipsum ex personali debito, sine ulla alia ratione sortiendi forum conveniri & immiissionem in bona decerni.*

a) ad L. 30. π. de judic. n. 11. 12.

b) P. V. dec. 394. n. 4.

§. XIII.

IVDEX IGITVR REI SITAE CONTRA FORENSEM ARRESTVM  
FACTI DECERNIT.

Certum igitur atque expeditum est, iudicem rei sitae in actionibus personalibus esse incompetentem, eoque injuste arrestum decernere firmandae jurisdictionis, vel potius; si verum fateri licet, sibi arrogandae jurisdictionis caussa; proinde necesse est, alia, ut accedat, quae ejusdem competentiam fundet, caussa. Jam non attinet, de iis caussis latius differere. Notum est, arresta ideo recepta esse, ut vel auctori securitas praestetur, vel contumacia rei coërceatur, simulque iudicio sua constet auctoritas. Hinc MEVIVS *a)* fugam, contumaciam, dilapidationem huc refert. Quod ad fugam & dilapidationem pertinet; istas caussas rebus immobilibus convenire nemo dixerit; unde V. C. ESTOR *b)* arresto in rebus immobilibus locum esse negat. Contumacia autem cum illi imputari nequeat, qui a iudice



prorsus & manifesto incompetente vocatus fuit; forum incompetens arresto firmare haud licebit; & a iudice rei sitae in actionibus personalibus perperam ad competentiam fori fundandam istud allegatur. Deficiente itaque iusta arresti causa illud erit facti; non juris.

a) de Arrest. C. III. n. 8.

b) Anfangs-Gründe des gemeinen und Reichs-Proceß §. 1920. n. I. 1925.

§. XIV.

CONSUETVDO CONTRARIA NON EST.

Videamus interea; quae sit illa notoria consuetudo, qua arresta fundandae jurisdictionis causa in actionibus personalibus introducta dicuntur. Provat equidem V. C. summi iudicii viros I. VOETIUM, COCCEJVM, STRYKIVM, alios in testimonium. Vellemus certe, ingenue heic egisset V. C. nec tantorum Virorum auctoritate abusus fuisset. Egregii etenim isti Jcti nil aliud asserunt, quam quod arrestum legitime decretum firmet jurisdictionem; eoque arrestatum constringat, ut ibi litem suscipiat finiatque. Quis interea inde colliget, iudicem rei sitae promiscue arrestum decernere posse; praesertim cum nulla alia arresti decernendi causa; uti certe in rebus immobilibus, docente V. C. ESTORE a), appareat. Neque enim in dubium vocabitur, quod arrestum juris & legitime decretum jurisdictionis firmandae effectum habeat; Id quod allegati



gati Jcti contendunt; verum hoc V. C. probare debuisset, quod in actionibus personalibus citra legitimam causam ad firmandam jurisdictionem saltim arrestum decernere liceat. Quod sicuti principiis juris romani & patrii repugnat; ita quoque nec consuetudine receptum dici potest.

a) Anfangs Gründe des gemeinen und Reichs-Proceß §. 1914. eleganter rem exprimit ab ipso alleg. MEVIVS de Arrestis C. 9. n. 25. Immobiliū supervacaneum est arrestum, cum loco moveri non queant. Eius tamen vice obtinet prohibitio alienationis; non tollit tamen dominium aut possessionem, nec suspendit aut impedit fructuum perceptionem aut custodiam.

§. XV.

JVDEX NON SOLVM COMPETENT, SED ET HABILIS SIT.

Praeter competentiam imprimis in judice requiriturabilitas; ut nempe in causa, in qua & ob quam arrestum petitur, cognoscere judicareque possit. Quodsi enim arrestans illud intendit, ut coram judice, qui arrestum decernit, causa ipsa ventiletur; eaque fini judex ipse bona ibidem sita impedimento constringit; necesse est, ut & potestatem cognoscendi, sententiamque ea in re proferendi habeat legitimam; Alias incassum impedimentum imponeretur & judex talis spoliū committeret; quando legitimum possessorem jure suo destitueret; simulque turbaretur a); *judicandi & jurisdictionis ratio, si per arrestum spoliaretur jurisdictione sua judex, peculiari-*



liariter ad id genus negotia dirimenda constitutus. Quare, si ex conventionibus publicis, quae ad cognitionem Imperatoris, vel Statuum Imperii, vel supremorum Imperii tribunalium pertinent, causa, in qua arrestum ad firmandam jurisdictionem petitur, decidenda est; ineptae judex inferior jurisdictionem sibi arrogat; injustius vero ad firmandam jurisdictionem, ad quam exercendam inhabilis est, arrestum b) decernit.

a) VOET. ad π. L. II. tit. 4. c. 26. adde Speciem facti in Sachen der Universität Marburg contra die Universität Gießen §. 13. ubi exemplum ea de re proponitur.

b) hinc recte monet RODING. Pand. Camer. L. I. tit. II. n. 33. lit. (k) potissimum attendendum esse, utrum causa, ratione cujus arrestum factum trahat originem de bonis mediatis vel immediatis; an vero personae inhaereat? in posteriori vero fundamentam esse jurisdictionem Camerae docet.

§. XVI.

NEC IN PROPRIA CAUSSA.

Deinde arrestum juris judex, si competens & habilis est, iustaque ejus causa accedit, decernit in causis aliorum; non propriis. Quandoquidem enim nimis grave & incommodum est, judicem habere suspectum; multo magis certe & ratio & leges prohibent; ne quis in propria causa judicet. Qui igitur jurisdictioni praest, dicente VLPIANO a), neque



neque sibi jus dicere debet, neque uxori vel liberis suis, neque libertis vel ceteris, quos secum habet. Huc vero imprimis leges Imperii respexerunt; simulque prohibuerunt, ne quis juris *b)* sibi dicendi causa arrestum imponat. Haec etenim arresta proxime ad spolia & pignorationes accedere certum est, & ipse FR. CAROL. von FRICCIUS *c)* agnoscit, & praecclare hanc in rem PETR. FRIDERVS *d)* si enim arrestator, inquit, rem ad se rapiat, vel quid commodi ex ea sentiat, spolium magis erit, pignoratio vel alia turbatio.

- a)* L. 10. π. de Iurisdiction.
- b)* all. Recept. Imp. de anno 1570. §. 84. & de anno 1594. §. 82.
- c)* de Iurisdiction. immed. summor. in Imp. Tribunal. non fundat. ad decern. Mand. S. C. de relaxandis bon. immediat. §. 33.
- d)* de Process. L. I. C. 39. §. 8. eodem modo Impp. in L. 6. C. unde vi interdictum, unde vi concedunt, si per injuriam iudicis aut ejus collusionem quis possessionem amittit.

§. XVII.

NON OBSTANTE CONSUEVDINE CONTRARIA.

Neque vero satis apte V. C., ut causam, quam defendendam suscepit, tueatur, ad istam consuetudinem germaniae provocat, qua Domini subditos suos coram proprio iudicio convenire solent. Equidem

C

b. HEL-



b. HEINECCIUS *a)* & LVD. MENCKEN *b)*, qui hanc materiam tractarunt, eam consuetudinem ex potestate dominica in homines proprios derivant. Etsi vero id ad reliquos subditos extendatur; notum tamen est, praeter iudicium rite & bene constitutum requiri, ut acta transmittantur, *c)* An vero illud ad subditos reales promiscui applicari possit? de eo facile erit iudicium, & vehementer dubito, an V. C. sententiam unquam sit probaturus. Plane, qui Statibus Imperii facultatem suos subditos coram proprio iudicio conveniendi adscribunt, illud antea poseunt, ut ipsis cum privatis res sit. Quodsi vero Satus Imperii alterum Statum convenire vult; vel iudicio Austregarum, vel summorum Imperii tribunalium locus *d)* erit.

*a)* diff. de dom. subdit. suos in propr. iudic. conveniat.

*b)* diff. de eod. argum.

*c)* HERT. diss. de subjectione territor. §. 6.

*d)* perillustr. Iud. Imp. Aul. Consiliar. de SENCKENBERG diff. de Evocation. C. 4. §. 6.

§. XVIII.

PROPRIA ETIAM CAUSSA EST CEDENTIS IVDICIS, SI  
CESSIONARIUS AGIT.

Nec porro refert, utrum ipse Princeps actoris vices gerat; vel ejus cessionarius agat; propria etenim caussa ejus censetur, qui ullo modo vel commendum sperat, vel incommodum metuit *a)*, nec cessio  
eatenus



eatenus quid mutat, cum cessionarius & cedens pro una fere persona habeantur *b*); & in cedentis arbitrio haud sit positum, debitoris cessi conditionem deteriore facere. Idcirco, cum nemo hac quidem ratione judicare in propria causa; multoque minus arresto jurisdictionem firmare possit; frustra cessionis glaucoma obducitur; quin potius hoc artificium arrestum facti manifesto prodit.

*a*) Compendium Lauterb. tit. de testib. p. 432.

*b*) L. 5. C. de heredit. vel action. vend.

§. XIX.

NOTAE IGITUR ARRESTI FACTI ET IVRIS PROPONUNTUR; ET PRIMO QUIDEM, UT IUDEX COMPETENS DECERNAT.

Vt igitur alia praetereamus; ex iis, quae jam dicta sunt, proprias tam arresti juris, quam facti notas eruere licet. Sicuti enim *arrestum juris* dicitur, quod iudex competens & habilis ob causam legitimam decernit; ita e contrario *facti arrestum* recte dicitur; quod iudex vel incompetens vel inhabilis nulla causa legitima interveniente imponit. Quae cum supra satis demonstrata fuerint; monuisse sufficiat, deficiente competentia juris communis requiri justam causam plane aliam, nec satis esse, sita esse bona sub ejus potestate, quae impedimento constringi vel eorundem possessor possessione sua destitui possit; hoc enim, si sufficeret, quid inter spoliolum & arrestum discriminis intercedat; ignoramus.

C 2

§. XX.



EXPLICATUR QUID LEGIBVS IMPERII DE IVDICIALI  
IMPOSITIONE SANCITVM?

Verum cum legibus imperii praeter jus commune quid statutum existimetur; atque in ea sententia quoque V. C. haereat; haud injucundum erit, paullo accuratius ea de re dispicere. Et in eo omnes consentiunt, hucusque frequentatam sibi ipsi jus dicendi licentiam; & quod multi, hoc beneficio, ad satisfactionem aut securitatem obtinendam, moribus introducto; magno pacis publicae detrimento abutentur, constitutioni *a*) de arrestis ansam dedisse. Neque illud praetereundum est, ex depravata consuetudine reliquum fuisse, ut, post pacem publicam reductam eumque in finem stabilita suprema Imperii judicia, ex proprio arbitrio vel sibi vel suis vel aliis interdum jus dicere maluerint germani. Eam ob causam latam fuisse legem publicam *b*); nullus negabit. Ideoque diversum quid a jure communi constitutum, nondum videmus; praesertim cum nulla appareat ratio; cur Magistratibus incompetentibus promiscuam decernendi arresti licentiam concesserint Imperator & Status Imperii; simulque jurisdictionis rationem, quam tamen cum pace publica adeo sancte custodire eoque prohibere voluerunt; quo minus in perniciem quietis publicae, injustam oppressionem aliorum, detrimentum & contemptum supremorum Imperii Tribunalium & confusionem *c*)

juris-



jurisdictionum sua potestate abutatur quisquam, tur-  
bare maluerint.

a) von FRICCIUS all. loc. §. 1. 2.

b) Recept. Imper. de anno 1570.

c) GAIL, de Arrestis C. V. n. 4.

§. XXI.

VLTERIVS DEMONSTRATVR.

Id praeterea cum rationi; tum legibus Imperii  
convenit; Quodsi enim praeter potestatem cogendi  
detinendive nil plane aliud ad decernendam arre-  
stum Imperator Augustissimus & Status Imperii exe-  
gissent; nil moribus quieti publicae hucusque ad-  
versis contrarium constitutum; sed potius vetus ea  
licentia cuius relicta fuisset, ut quis vel alterum  
Statum Imperii vel ejus subditum contra jus & fas  
ad suum forum pertrahere, vel, si forum ejus, quod  
tamen citra gravissimum praepjudicium fieri nequit,  
agnoscere nolit, possessione suorum bonorum desti-  
tuere posset. Hanc deinceps sententiam confirmat  
Recessus Deputat. de anno 1600. §. 48. qui expres-  
sim praeter facultatem potestatemque cogendi deti-  
nendique alias legitimas arresti causas requirit, nec  
admittit solam judicis potestatem; dum relaxationem  
arrestu injungit.

C 3

§. XXII.



§. XXII.

DISSENTIENTIBVS RESPONDETVR.

Id quod alios in contrariam sententiam deduxit: hoc est, quod Recessus Imp. de an. 1594. Arrestum judicialiter *Ambts und Obrigkeit halber* decretum pro licito reputet. Etiam si vero facile animadverti potuisset; ad arrestum juris non sufficere, quod iudex decreverit; studium tamen causae ad defendendum susceptae alios forte in contrarium traxit. Equidem negari nequit, quod, qui nulla ex causa competens; ideoque causae cognitionem sibi arrogare non potest; de facto procedat, atque arrestum facti decernat. Non tantum enim privatus; sed & iudex de facto procedit; quando de persona, simulque in causa ad se non pertinente, cognoscere, eumque in finem bona impedimento constringere tentat. Id unicum saltem V. C. perpendendum relinquimus, utrumne Constitutio de arrestis tam privatorum, quam Statuum Imperii causa emissa fuerit. Illi certe, qui ejus temporis historiam probe tractant; facile in eo consentient, id Augustissimo Imperatori & Statibus propositum fuisse, ut sua cuique iudicio constet auctoritas, simulque omnis jurisdictionum confusio evitetur.

§. XXIII.

RESPONSIO FIRMATVR.

Vnde iterum sententia legis publicae verb. *Ambts*

IIXX



**Ambts und Obrigkeit halben**, facile explicari poterit. Vbi enim proprio ausu vel ad instantiam alterius iudex nec competens, nec quoque habilis, causa cognitionem sibi arrogat; veluti privatus de facto procedit; eoque, si impedimento bona adstringit, proprio ausu & citra causae cognitionem illud facit. Quae cum praeclare explicet egregius **Jctus HERMANN. VVLTEJVS a)**; ejus verba adponere liceat: *Judiciorum auctoritas publica est, eademque non nisi auctoritate publica constituuntur. Auctoritas est magistratus; Magistratus autem ea, quae ad judicia pertinent, expedit vi jurisdictionis suae, quam ex magistratu habet. At jurisdictionis modus non est omnium magistratuum idem, sed cuiusque magistratus jurisdictio circumscripta & definita est suis terminis & limitibus, intra quos si se magistratus contineat, revera magistratus sit & dicatur, congruum est; e contrario vero non sit magistratus, sed instar alius privati, ac proinde incompetens, si extra eos evagatur. Et si vero omnium magistratuum sit eadem jurisdictio; docente eodem magno **Jcto b)**; una quaeque tamen locis, causis & personis est limitata. Ideoque nil obstat, quo minus arrestum a iudice repositae contra forensis decretum pro arresto facti reputetur.*

a) de Judiciis L. I. C. 4. n. 135.

b) cit. loc. ceterum quod iudex imposuerit, non sufficere ad id, ut arrestum judicialiter dicatur impositum, inde constat; verum necesse est, ut iudex qua iudex, scil. competens, hoc faciat.



§. XXIV.

RATIO COMPETENTIAE, QVAM LEGES IMPERII REQVIRVNT,  
EXPLICATVR.

Haud sola igitur jurisdictio, quam alias magistratus habet, nec competentia ex jurisdictione loci vi fundatae in territorio potestatis derivata, arresta decernendi facultatem dat; Neque enim a quocunque iudice arrestum recte decernitur; uti sibi persuadet V. C. HOMBERGIUS. *a)* Verum illud iudici potestatem impetimento constringendi bona concedit, si ratione rei iudicatae, conventionis, pacti, transactionis &c. competens est. *b)* Quodsi interea ea deficiunt, nilque ad arrestum legitimandum superfit praeter potestatem cogendi, arrestum erit facti & constitutione de arrestis prohibitum.

*a)* cit. loc. §. 9. 10. 11.

*b)* PETR. FRIDER. de Process. L. I. Cap. 39. §. 7.  
GAIL. de Arrest. C. XI.

§. XXV.

ILLVSTRATVR VLTERIVS.

Leges enim Imperii Arresta juris, quae judicialiter von Ampts und Obrigkeit halber administrandae iustitiae gratia decreta sunt, ad licita quidem referunt; Quodsi igitur illa fieri debent judicialiter, jureque Magistratus ad administrandam iustitiam; ipse FRICCIUS *a)* arresta a Magistratu in proprio causa decreta rejicit;



reijcit; deinde quicquid jure Magistratus ratione officii **Ambts und Obrigkeit halber** fieri debet a iudice; requirit certe ejus competentiam simulque habilitatem; alias si hanc removeas, ipse Magistratus erit remotus, iudexque in conditione privati collocabitur. Ceterum, quando sententia illa cum voluntate legislatorum conveniret, nullius esset laboris, demonstrare, ipsum Nobilem Landsassium jurisdictione gaudentem, Dominum territorialem mediante Arresto ad suum forum pertrahere posse; cum judicialiter decernat Arrestum. Adeoque certum; tum Arrestum jure Magistratus **Ambts und Obrigkeit haben**, simulque cum causae cognitione impositum; cum jurisdictio ejusdem aliunde fundata sit, intelligi. Hoc cum ad sententiam Constitutionis de Arrestis proxime accedat; recte **GAILIVS b)** & **PETRVS FRIEDERVS** eandem haec quidem ratione explicarunt; Recessus vero Deputationis de anno 1600. **c)** nec non Conceptum Ordinationis Cameralis **d)**; dum quaestio: an quis per alterius territorium proficiscens a Magistratu ad instantiam alterius arrestari possit? deciditur; lucem heic affundunt; siquidem cum pro dubitandi ratione ponatur, quod jure Magistratus impositum esset; e contrario tamen constitutum fuit; ut; praestita cautione de iudicio fisci & iudicatum solvi, ad constitutionem de Arrestis mandata decernerentur.

a) all. loc. §. 33.

b) de Arrestis C. XI. n. 3. 4.

c) §. 48.



d) II. Rh. 24. tit. §. 5. Et qui citra causae studium Recessum Imp. de an. 1594. §. 82. inspicit; haec omnia facile observabit; dummodo advertat, quid per Arresta illicita intelligas; die ihrer Eigenschafft nach wahre und in Rechten; (heic certe confirmatur jus commune) verbothene Arresta genennet werden, zu verstehen. Atque haec satis eleganter explicat atque rationibus confirmat Egregius Jctus MEVIVS de Arrestis Cap. III. n. 10. seqq. Arrestum ex se fori competentiam facere, ideo quando ex causa, justum a quovis judice utut alias incompetente recte imponi nonnullorum est sententia, quam putant adstrui per Constitut. Imperii im R. N. zu Regensburg de anno 1594. §. und so viel die ungleiche Meinungen; At nil habet iste textus, ex quo firmetur opinio illorum. Tantum explicat discrimen illicitorum & licitorum arrestorum, ex quibus causis haec talia fiant. Singula suis judiciis relinquit de fori competentia ex iis nil meminit; ne dum illam ex nudo arresto facit. *Vnde ad hanc non sufficit sola causa, quae arrestum justificat, sed talis juxta esse debet, quae jurisdictionem tribuat vel provoget, uti fieri potest per contractum, conventionem, statutum &c.*

§. XXVI.

SENSVS CONSTITVTIONIS.

Interea necesse jam est, propius ad Constitutionem de Arrestis accedere, simulque tam ejus Arresti requisita proponere, quam iurisdictionem summorum Imperii Tribunalium fundatam intueri; & primum quod attinet; *Arrestum a) facti* est, quod quis *proprio ausu*



*ausu & sine causſae cognitione* decernit. Idcirco ubi ju-  
dex competentia ſimulque habilitate judicandi plane  
deſtituitur; ibi non ſaltim, ut ſupra evictum eſt, pro-  
prio auſu procedit; verum & cauſſae cognitio deeſſe  
videtur; propterea quod is non eſt, qui in ea cauſſa  
cognoſcere judicareque poteſt. Quare illuſtr. de  
LVDOLPH *b)* arreſtum tale vindictam privatam re-  
ſpicere recte obſervat.

*a)* Receſs. Imp. de anno 1594. §. 84.

*b)* Comment. System. Jur. Cameral. Sect. I. §. 9. n. 1.  
Ea vero multo magis ſe prodit, quando cauſſa, ratio-  
ne cujus arreſtum factum, principem arreſtantem  
tangit; id quod & allegatus FRICCIUS agnoſcit.

§. XXVII.

ARRESTANS SIT IMMEDIATVS.

Ad fundandam itaque jurisdictionem ſupremo-  
rum Imperii Judiciorum, quae ad tuendum jus com-  
mune adeoque conſervandam pacem publicam con-  
ſtituta ſunt; anxio labore haud erit opus; quando de  
Arreſto facti conſtat. Neceſſe vero eſt, ut arreſtans  
immediate ſit Imperio ſubjectus; nec ejus rei ratio  
longius arceſſenda; cum, quando eſt mediatus, para-  
tum ſit remedium penes ejus ſuperiorem. Hinc ea  
quaestio, utrumne adverſus regimen, quod Arreſtum  
decernit, mandatum S. C. poſtulari poſſit? facile de-  
finitur. Enimvero Principem eum in finem adeun-  
dum eſſe, notum eſt. Quodſi vero judex inferior  
juſſu



jussu auctoritateve Principis vel accedente saltim  
 ratihabitione Arrestum faciat; iterum expeditum est,  
 fundatam esse hoc in casu Camerae vel Judicii Imperii  
 Aulici jurisdictionem; propterea quod ea quidem ra-  
 tione ipse Princeps Arrestum a) imponere censetur.

a) Recess. Imper. de anno 1570. §. 84. clare hac de re  
 praecipit: Da einer dem Reich ohne Mittel unterworfen,  
 durch sich selbst oder die Seine etc. GAIL. de Arrestis  
 Cap. IV. n. 8. PETR. FRIEDERVS de Process. L. I. C. 38. §. 2.  
 FRICCIUS all. tr. de Jurisdic. immediata summorum in Imper.  
 Tribunal non fundata ad decern. Mandata S. C. de relax. bonis immediator.  
 judicialiter arrestatis §. 26.

§. XXVIII.

ARRESTVM FACTI EST, LICET JVDIX TERTIVS DECERNAT.

Vereor proinde, ut D. FRICCIUS a) quartum  
 requisitum ad arrestum facti, indeque fundandam ju-  
 risdictionem summorum Imperii Tribunalium, quod  
 addidit, ut scil. *arrestum non a judice tertio, sed ab ipso  
 immediato vel per suos fiat*, ex ipsis Imperii legibus  
 probare possit. Si enim a judice tertio sine praescitu  
 Principis arresto quis injuste gravetur; haecenus ad  
 decernendum Mandatum jurisdictionem Camerae  
 Imperialis haud fundatam esse fatemur; cum ipse  
 Princeps eam ob causam sit adeundus; sin Princeps  
 jusserit, ratumve habuerit, secus est; cum hoc modo  
*per suos arrestum imponat.* Bene interim advertit  
 GAILI-



GAILIVS *b*) arresta a iudice decreta; modo iudex competens juxta leges Imperii fuerit, Constitutione non contineri; Ea vero, quae iudex decernit nulla ex causa competens, esse arresta facti; consequenter Constitutione comprehendi. Eo enim solo, ut antea evicimus, arrestum legitimum haud efficitur, quod iudex imponat; idque leges Imperii clare satis asserunt. Praeterea magis constat, arrestum esse facti, quando Princeps ejusve jussu & consensu iudex in propria eaque causa, quae ad cognitionem Imperatoris vel supremorum Imperii Tribunalium pertinet, firmandae jurisdictionis gratia bona quaedam impediendo constringit; id quod D. FRICCIUS ubique factus est.

*a*) all. loc. §. 42. n. 4.

*b*) de Arrest. Cap. XI.

§. XXIX.

ARRESTATVS VTRVM SIT MEDIATVS, AN IMMEDIATVS;  
NIL REFERT.

De ipso arrestato nil hactenus interest, utrum mediatus, an immediatus sit; cum, si arresto facti ejus bona detinentur ab Immediato Imperii Statu, ipse nil reliquum sit; quam arrestantis Judicem adire, ejusque rei medelam quaerere; Et quoniam interea haec causa ad Principem, cujus subditus vel ejus bona praeter jus & fas ad incompetens & alienum forum trahuntur, quam maxime spectat; eodem modo

D 3



modo agere potest. Ideo perillustris de LVDOLPH  
*a)*, actor erit, inquit, vel ipse arrestatus vel persona rei  
 subjecta; reus vero magistratus immediatus, qui arrestum  
 ad requisitionem imposuit.

*a)* all. loc. Sect. I. §. 9. n. 7. fin.

§. XXX.

LATIVS EXPONITVR.

Ideoque etiam cum V. C. existimamus, *haud  
 multum referre, mediatu sit is, an immediatus, cujus  
 bona a iudice rei sitae arresto gravata sunt.* *a)* Id enim  
 cum legibus Imperii convenit. *b)* At vero in eo pro-  
 videndum erit iudici, ne arresto facti gravet imme-  
 diatos vel mediatos. Id ne fiat, competentia iudicis  
 ipsa probe consideranda; de qua supra diximus. Nec  
 cogitandum, sufficere, quod media alterum vel im-  
 mediatum vel mediatum cogendi suppetant. Id  
 namque vindictam sapit, atque constitutioni de arre-  
 stis facit locum; nec non jurisdictionem Camerae  
 fundat. Quodsi contra forum Status Immediati eo  
 modo, quem leges Imperii praescribunt, fuerit com-  
 petens; nil obstat, quo minus arrestum tam contra  
 immediatum, quam mediatum haecenus decerni  
 queat. Huc interea pertinet exemplum, quod ex  
 perillustr. de LVDOLPH *c)* Symph. Consultat. &  
 Decif. de Tripsio quodam V. C. HOMBERG *d)* pro-  
 posuit. Reditus enim Dynastiae Eys in solutionem  
 assignati



assignati erant; ideoque, cum talis assignatio pactum  
*e)* contineat hypothecae, actio competebat realis, si-  
 mulque jurisdictionem fori Brabantini fundabat. Sola  
 igitur immedietas Principum Waldeccensium, ubi res  
 ipsa pignoris nexu affecta, jurisdictionem Camerae  
 fundare nequibat. Quoniam vero concessimus in  
 actionibus realibus forum rei sitae locum habere; il-  
 lud haud quicquam ad rem pertinet.

- a)* all. V. C. HOMBERG §. 19.
- b)* Recessus Imperii enim de anno 1570. §. 84. expressim  
 verb. einem andern dem Reich gleicher gestalt ohne  
 Mittel unterworfen, dessen Güter und Unterthanen  
 oder deren Güter arrestiren würde etc.
- c)* T. I. Conf. & Dec. 45. Prop. 12. & 13. p. 1424.
- d)* all. loc. §. 20.
- e)* MEV. P. VII. dec. 49. HERT. diff. de pign. con-  
 vent. tacit.

§. XXXI.

CONCLUSIO.

De reliquis fundandae jurisdictionis Cameralis  
 requisitis, nempe cautionis oblatione & caussa civi-  
 li, jam dicere nil attinet. Nobis sufficit, demon-  
 strasse, ad arrestum juris requiri, ut iudex ex alia  
 plane caussa, quam situ bonorum sit competens;  
 Proinde non est dubium; quin arrestum, quod iu-  
 dex rei sitae contra forenses dercernit ex nulla alia  
 caussa, quam ut se iudicem constituat in caussa, ad  
 se



se non pertinente ; sibi que vel suis compendiosiori  
 via, ut loquuntur, jus dicat ; vel etiam ad instantiam  
 tertii, qui contra arrestatum actionem personalem  
 habere praetendit, sine ulla alia causa, illud impo-  
 nit ; facti sit & illicitum, eoque constitutione de  
 Arrestis contineatur.


Haec vero, Nobil. Domini Commilitones atque  
 Auditores lectissimi, ad Vos prius praefari necessari-  
 um duxi ; quam mentem Vobis exponerem. Hocce  
 semestri spatio doctrinam de actionibus & Pandectas  
 explicare coepi. Et cum maxime conducatur, ea, quae  
 in lectionibus proponuntur, saepius repetere, ani-  
 moque imprimere ; eam ob causam in animum indu-  
 xi, collegium disputatorium, quo ea, quae singulis  
 septimanis tractantur ; adjectis iis quoque, quae jam  
 absoluta sunt, in disceptationem perducere debent, in-  
 stituere ; Hoc proinde Vobis antea indicare, simulque  
 rogare, inprimis cum id propria Vestra utilitas  
 poscat ; volui debuique, ut consilium hocce  
 mecum probetis. Dabam e Musaeo  
 d. XXXI. Jul. MDCCXLVII.






















jussu auctoritateve Principis vel accedente saltim  
ratihabitione Arrestum faciat; iterum expeditum est,  
fundatam esse hoc in casu Camerae vel Judicii Imperii  
alici jurisdictionem; propterea quod ea quidem ra-  
e ipse Princeps Arrestum a) imponere censetur.

recess. Imper. de anno 1570. §. 84. clare hac de re  
praecipit: Da einer dem Reich ohne Mittel unterworfen  
durch sich selbst oder die Seine zc. GAIL. de Ar-  
rest. Cap. IV. n. 8. PETR. FRIEDERVS de Process.  
§. 38. §. 2. FRICCIVS all. tr. de Jurisdic. imme-  
morr. in Imper. Tribunal non fundata ad  
Mandata S. C. de relax. bonis immediator.  
arrestatis §. 26.

§. XXVIII.

ARRESTUM LICET JVDIX TERTIVS DECERNAT.

Verum licet D. FRICCIVS a) quantum  
requisitum est, indeque fundandam ju-  
risdictionem Imperii Tribunalium, quod  
addidit, ut scilicet a judice tertio, sed ab ipso  
immediato vel per ipsos ipsius Imperii legibus  
probare possit. se tertio sine praescitu  
Principis arresto quod dicitur; hactenus ad  
decernendum Mandatum jurisdictionem Camerae  
Imperialis haud fundatam; cum ipse  
Princeps eam ob causam non fundatam; sin Princeps  
jusserit, ratumve habuerit, tunc hoc modo  
per suos arrestum imponat. GAILI-

